

religatum ab humeris eius trahunt, hunc dimicans, ut sit periculi signum, leua quatit: dextra apprehenso stylo in pugna est: modicus alias tractus. Ut prope carinam uentum est, nisi praeceleri vi repente rapiant, absumi spectant. Ac saepe iam subducti, e manibus auferuntur, si non trahentium opem, conglobato corpore in pila modum, ipsi adiuuere. Protendunt quidem tridentes alij, sed monstro solertia est nauigium subeundi, atque ita e tuto praeliandi. Omnis ergo cura ad speculandum hoc malum insumitur.

De his quae silicea testa includuntur, & quae sine ullo sensu, & de reliquis sordidis animalibus.

CAP. XLVII.

Certissima est securitas, uidisse planos pisces: quia nunquam sunt, ubi malefica bestia: qua causa urinantes sacros appellant eos. Silicea testa inclusis fatendum est nullum esse sensum, ut ostreis. Multis eadem natura quae frutici, ut holothurijs, pulmonibus, stellis. Adeoque nihil non gignitur in mari, ut caponarum etiam aestiua animalia, pernici molesta saltu, aut quae capillus maxime celat, existant: & circumglobata esca saepe extrahuntur: quae causa somnum piscium in mari noctibus infestare existimatur. Quibusdam uero ipsis inmascentur, quo in numero chalcis accipitur.

De venenatis marinis.

CAP. XLVIII.

Nec venena cessant dira, ut in lepore: qui in Indico mari etiam tactu pestilens, vomitum dissolutionemque stomachi protinus creat: in nostro offa informis, colore tantum lepori similis: in Indis, & magnitudine, et pilo duriore tantum, nec uiuus ibi capitur. Aequae pestiferum animal araneus spinae in dorso aculeo notius. Sed nullum usquam execrabilius quam radius, super caudam eminens trygonis, quam nostri pastinacam appellant, quincunciali magnitudine. arbores infixus radici necat, arma ut telum perforat vi ferri & veneni malo.

De morbis piscium.

CAP. XLIX.

Morbos uniuersa genera piscium, ut caetera animalia etiam fera, non accipimus sentire. Verum aegrotare singulos manifestum facit aliquorum macies, cum in eodem genere praepingues alij capiantur.

De generatione eorum mira.

CAP. L.

Quoniam modo generet, desiderium & admiratio hominum differri non patitur. Pisces attritu uentrum coeunt, tanta celeritate ut visum fallant: Delphini & reliqua certe simili modo, paulo diutius. Femina piscis coitus tempore marem sequitur, ventrem eius rostro pulsans: sub partem mares feminam similiter, oua uescetes earum. Nec satis est generationi pro se coitus, nisi editis ouis, inter se uersando mares & feminam vitale asperserint uirus. Non omnibus id continet ouis in tanta multitudine, alioqui repletur maria & stagna, cum singuli uteri innumerabilia concipiant.

Item de generatione, & qui pisces oua pariant.

CAP. LI.

Piscium oua in mari crescunt, quaedam summa celeritate, ut murenarum, quaedam paulo tardius.

Plani piscium quibus cauda non est, aculeatique, ut testudines in coitu superueniunt: Polyphi crine uno feminae naribus adnexo: Sepiae & loligines linguis, componentes inter se brachia, & in contrarium nantes: ore & pariunt. Sed polyphi in terram uerso capite coeunt. Reliqua mollium tergis, ut canes. Item locustae & squillae, cancri, ore. Ranae superueniunt, prioribus pedibus alas feminae mare apprehendente, posterioribus clunes. Pariunt minimas carnes nigras, quas gyri

10 nos uocant, oculis tantum & cauda insignes: mox pedes figurantur, cauda findente se in posteriores. Mirumque, semestri uita resoluuntur in limum nullo cernente, & rursus uernis aquis renascuntur quae fuere natae, perinde occulta ratione, cum omnibus annis id eueniat. Et mituli & pectines sponte naturae in harenosis proueniunt. Quae durioris testae sunt, ut murices, purpurae, saluario lentore. Sicut acescente humore culices, & atque spuma maris incalescente, cum admissus

* apuz, spuma

20 ostrea, putrescente limo, aut spuma circa nauigia diutius stante defixosque palos, et lignum maxime. Nuper compertum in ostrearijs, humorem ipsius foetificum lactis modo effluere. Anguilla atterunt se scopulis, ea strigmenta uiuiscunt, nec alia est earum procreatio. Piscium diuersa genera non coeunt, praeter squatinam & raiam, ex quibus nascitur priori parte raiam similis, & nomen ex utroque compositum apud Graecos trahit. Quaedam

* tempore anni gignuntur, & in humore & in terra.

* tepore

30 Vere pectines, limaces, hirudines eodem tempore eua-

* uiuiscunt

nesunt. Piscium lupus & trichias bis anno parit: & saxatiles omnes. Mulli ter ut chalcis, cyprinus sexies, scorpiones bis ac sargi, uere & autumno. Ex planis squatina sola bis, autumno & vergiliarum occasu. Plurimi piscium tribus mensibus, Aprili, Maio, Iunio, Salpae autumno: Sargi, torpedo, squali circa aequinoctium. Molles uere. Sepia omnibus mensibus. Oua eius glutino atramenti ad speciem uiae cohaerentia, masculus persequitur afflatu, alias sterile sunt. Polyphi hyeme coeunt, pariunt uere oua tortili vibrata pampino, tanta fecunditate, ut multitudinem ouorum occisi non recipiant cauo capitis, quo praegnantem tulere. Ea excludunt quinquagesimo die, e quibus multa propter numerum intercidunt. Locustae & reliqua tenuioris crustae ponunt oua super oua, atque ita incubant. Poly-

40 pus femina modo in ouis sedet, modo cauernam cancellato brachiorum implexu claudit. Sepia & in terreno parit inter harundines, aut sicubi enata alga. excludit quintodecimo die. Loligines in alto coersata oua edunt, ut sepia. Purpurae, murices, eiusdemque generis, uere pariunt. Echini oua plenilunij habent hyeme, cochleae hyberno tempore nascuntur. Torpedo octogenos fetus habens inuenitur: eaque intra se parit oua praemollia, in alium locum uteri transferens, atque ibi excludens. Simili modo omnia quae cartilaginea appellantur. Ita fit, ut sola piscium & animalia pariunt, & oua concipiant. Silurus mas solus omnium edita custodit

oua saepe